







D·IO·CHRYS·TROMBELLI BON·AB·EXG·CAN·R·OB·A·1784·ÆT·87


POETICA
THEOLOGICA
HISTORICA·ASCETICA
SCRIPTA·EDIDIT
MVSEVM·CONDIDIT
BIBLIOTHECAM
CODICIBVS
AVXIT



DE VITA

JOANNIS CHRYSOSTOMI

TROMBELLII

COMMENTARIUS.



Nemo me lacrumis decoret, neque funera fletu
Faxit, quom volito vivu' per ora virûm.

Ennius de se.

Ergo recessit a nobis, sed non totus recessit; reliquit enim nobis liberos suos, subjectos scilicet libros, in quibus eum debemus agnoscere, et in quibus eum et cernimus, et tenemus.

S. Ambr. in Orat. de ob. Theodosii.



REVERENDISSIMO PRAESULI

DOMNO VINCENTIO GAROFALI ROMANO

ABBATI EX-GENERALI, ET PROC. GENERALI CONGREGATIONIS CANONICOR. RR. SS. SALVATORIS LATERANEN. CONSULTORI CONGREGAT. SUPREMAE, ATQUE INDICIS, NECNON SACROR. RITUUM, ET CATHOLICAE FIDEI PROPAGANDAE.

D. PETRUS VINCENTIUS SAULI GENUENSIS

ABBAS S. PETRI DE COSTA EX EADEM CONGREGATIONE

FELICITATEM.

Quod Opus studiosis Juvenibus, ad imbibenda scientiarum ac pietatis semina, olim, Reverendissime Praesul, inscripsisti; cujus magna cum laude meminere tot Viri docti, et Ephemerides Literariae, Joannis nempe Chrysostomi Trombellii vitae Commentarium, nunc ad illud iterum typis mandandum non una me ratio movet, ac prorsus impellit. Primum quidem Operis raritas, ob quam habere ipsum in manibus studiosi nostri Juvenes non possunt, uti vehementer optarent, certiores facti, tanti Viri nomen virtutis nomen esse, et gloriam nostri Ordinis. Deinde mei erga Te ut grati animi significatio constet aliqua. Nam ex eo tempore, quo Genuae de proximo admirari mihi licuit sapientiam Tuam, singularibus me, licet immerentem, beneficiis devinxisti Ti-



bi, ac semper ornasti. Quae profecto dum recolo, tacere non possum, quod me inter Praesules Ordinis nostri retuleris; quodque a Summo Pontifice GREGORIO XVI., *qui Te diligit, inter Sacrae Congregationis Rituum Consultores, ut cooptarer, impetraveris.*

Atque esset nunc locus nonnulla de Tuis laudibus attingere praeclarissimis, nisi probe scirem, a laudibus atque honoribus tantum esse alienum Te, quantum non pauci amore gloriae inflammantur. Tacebo igitur. Quamquam, tacente me, loquitur Congregatio nostra, quae ob iniquitatem temporum quum decidisset, a Te restituta est; eidemque Lateranensis Congregatio coaddita, quam fere ex cineribus excitasti. Loquuntur praeterea Convictus Nobiles Adolescentulorum florentissimi, qui Te Fundatorem suum merito agnoscunt. Quod ergo studiosa Juventus nostra summopere cupit, quod Te maxime decet, quodque praecipuo jure debetur Tibi, reliquum est, doctissime Praesul, ut qua soles humanitate excipias, meque, ut facis, amare pergas.

Romae ex AEdibus s. Petri ad Vincula Idibus Maji MDCCCXXXI.

STUDIOSIS JUVENIBUS CANONICIS RHENANIS
CONGREGATIONIS SS. SALVATORIS.

D. VINCENTIUS GAROFALI ROMANUS
EX EADEM CONGREGATIONE S. D.

Etsi mihi non tanta vobiscum, studiosi Juvenes, necessitudo conjunctioque foret, quanta ut sit et communis nostra parens facit, et benevolentia, quae, ut par est, maxima mihi cum vobis ipsis intercedit; tamen nullos potiores quam vos haberem, quibus Jo. Chrysostomi Trombellii vitam praecipue proponerem, dicceremque. Excellentium virorum exempla non video, quibus aptius, quam juvenibus exhiberi possint; iis namque quasi quibusdam igniculis ad virtutem incendi solent, et ab eximia testataque majorum laude moneri, ne ab ea degenerent. Habetis propositum excellentem Virum. Habetis eum Virum, qui Juvenes (quibuscumque rebus potuit) adjuvit semper, erexit, amplificavit, ut ad omnem honestatem, decus, doctrinamque formarentur. Illum jam oculis inter legendum cernite. Tanta sapientia mirabiles de se amores in vobis, ut spero, ex-

citabit. Quamobrem fingite, non me (neque enim admonitore me atque hortatore indigetis), sed Trombellium ipsum sic unumquemque vestrum alloquentem (*)

Disce, puer, virtutem ex me verumque laborem.

Memineris sustinere te expectationem, cui respondere necessarium est; eamdem vero vincere, pulcherrimum. Nunc carpe diem, cum eam aetatem ingressus sis, qua non alia continget felicior ad imbibenda literarum ac pietatis semina. Nihil, mihi crede, virtute solidius inter has caducas fluxasque res, nihil delectabilius invenies. Haec vobis ab illo, quae toties, dum viveret, juvenibus instillabat, dicta esse putate, dum vobis haec tamquam mnemosynon, exempla sua transmittit. Interea valete; et pro vestra humanitate benevolentiaque, quidquid scripsi, quodque vobis offero, aequi bonique facite.

Bononiae, ex Canonica S. Salvatoris IV. *kal. Febr.* MDCCLXXXVIII.

(*) Virg. AEneid. lib. XII.



I. Joannis Chrysostomi Trombellii, cujus vitam breviter explicare aggredior, nescio utrum pietas, an doctrina majore praeconio digna sit. Certe utriusque conjunctio in eo sic emicuit, ut optimus, et doctissimus quisque hac nostra aetate carissimum virum praecipua quadam admiratione prosequutus sit (a). Sed ab initio ordiendum est. Is itaque anno a Christi ortu MDCXCVII. III. Non. Mart. natus est Hyacintho patre, Lucia Albertinia matre, quae Caesarem Albertinium, et Marcellum Malpighium, duo clara nomina, necessitudine attingebat. Patris familia inter primarias Sanctae Agathae perantiqui oppidi ditionis Bononiensis numerabatur. Attamen forte alio cum Joannis Chrysostomi parentes amplificandae rei familiaris gratia se contulissent, is in Ecclesia Galeatiae Nonantulanae dioecesis, quam prope erat natus, baptismate lustratus fuit, et Raymundus Anselmus appellatus; quod nomen Canonicus Regularis fa-

(a) Hanc de Trombellio laudem testatissimam exponit cl. Lagomarsinius in notis ad Pog. epistolas tom. III. pag. 399.

ctus in Jo. Chrysostomi commutavit. Patre cito caruit: inde vix quinquennis Bononiam a patruo accersitus, honeste ab eo liberaliterque est educatus. Aderat ei etiam Sebastianus Antonius frater natu major, qui tum praeclare medicinam Bononiae agebat; quique cum Academiam Scientiarum Instituti, cujus exstitit Socius, doctrina auxisset sua, non vulgari commendatione meruit a Franc. Zanottio celebrari, qui Academiae ejusdem erat ab actis (a).

II. Excesserat ex ephebis, cum secum reputare coepit, saeculi via quam salebris aspera et ruinarum plena esset: perfugiumque opportunum sibi meditatus, inter Canonicos nostros Sanctissimi Salvatoris adscribi petiit, communique suffragio impetravit. Anno igitur MDCCXIII. IV. Id. Mart. inter Tirones Bononiae receptus est; insequenti vero anno solemne votum suscepit, quod Servatori Deo ad exitum usque vitae fidelissime persolveret. Jam in his ipsis initae a se vitae primordiis arduum non fuit judicare,

(a) Vid. tom. Actor. II. par. I. pag. 187., ubi praematuri ejusdem Sebastiani obitus mentio injicitur. Hujus casus acerbitatem Jo. Chrysostomus pro benevolentia, quae summa ei cum suavissimo fratre intercedebat, vehementer doluit: putavitque doloris levamen aliquod in ejus vita conscribenda posse se reperire. *Commentariolum apud me asservo.*

quis veteranus esset futurus tum ob perspicua incitamenta quaedam naturae, quibus ad studia ferebatur, tum ob virtutum semina optimarum, quae tantum in eo excreverunt, quantum vel ipsi libri in vulgus editi demonstrant ac propemodum clamant.

III. Politioribus literis addiscendis non mediocrem operam apud Jesuitas in saeculo cum dedisset, Bononiae apud nos singulas Philosophiae partes lustravit, ingressusque est Theologiam. Hanc avidissime arripuit, in primisque Romae in Canonica nostra S. Petri ad Vincula, ubi Joannem Albertum Grandium audivit, virum sanctitate doctrinaque clarum, qui post Ordinis praefecturas prudentissime gestas, a Benedicto XIV. Fossae Clodiae Episcopus anno MDCCLII. est renunciatus (a).

IV. Studiorum curriculo confecto, demandatum est illi docendi munus. Primum Philosophiam professus est in Candianae Canonica, quae millia passuum fere duodecim Patavio distans, et studiorum ratione et amplitudine inter ceteras clarebat; deinde Bononiam revocatus, Philoso-

(a) Hujus vitam et mores, signaque, quibus ejus sanctitas fulsit, sermone vetere etrusco (sic enim amabat scribere) Ernestus Cusianius Patavinus Canonicus noster persequutus est, ediditque Patavii, typis Piottianis, anno MDCCLXII.

phicum ibi cursum complevit; tum Theologicas disciplinas, quarum amore incendebatur, duodecim annos sic auditoribus explicavit suis, ut concitatam de se expectationem mirifice confirmarit. Jam vero ad praestantiam in his, aliisque studiis comparandam plurima habuit adjumenta. Nam non solum *ingenii celeritate, supra quam dici potest, valebat, nihil non memoria tenens, promptus ad omnia*, ut de eo in quarto Actorum volumine cl. Zanottius testatum reliquit, sed impiger praeterea atque industrius erat, et voluptatum, quae mentem a studiis avocant, inimicus. Est Bononiae apud nos bibliotheca varietate librorum, et exquisitorum codicum copia cujuscumque literaturae insignis. In hac ille abditus evolvere Patres, expendere Criticos, in adversaria referre quidpiam notatu dignum, sudare, algere: interdum etiam ob vehementiorem animi contentionem viribus deficere.

V. Interea studiorum severitatem ut condimento amoenitatis aliquo relaxaret, poëticen coluit. Neque tantum excellentiorum poëtarum lectione delectatus est, sed ad poëticas quoque scriptiones se contulit. Deduxit ad etruscos modos Phaedri fabulas, quas pluries recusas, fere

omnium manibus tractari video. Pari ratione Avieni, Gabriaeque fabulas vertit: tum Gabrielis Faërni centum, et Baptistae Mantuani singularem. Condidit etiam ipse fabularum librum, quarum versus, judicio doctorum, italicae venustatis sunt plenissimi (a). Sed Phaedri versio placuit prae ceteris; quamobrem Jesuitae Mediolanenses quae ab discipulis in suis scholis legerentur, dignas existimarunt. Hoc ego honoris loco ponendum esse judico; raro enim Societas illa, quae auctoribus in omni fere eruditione claris abundabat suis, aliorum edita in scholis proponebat.

VI. Id erga poëticen studii paulatim desedit, maxime cum juvenilis illa, quae musarum amica est, alacritas deferbuit. Accesserunt amicorum hortationes et consilia, qui, cum tranquillo animo ferre non possent, Chrysostomum majoribus rebus natum, in mitioribus hisce studiis aequo plus inhaerere, saepe ad illum: laudabilem esse poësin: multa in ea concludi posse sapientiae semina, magnamque ad informandos mores inesse vim; at rem ecclesiasticam et publicam literariam, utiliorem operam ab eo gra-

(a) Vid. quart. Actor. Bon. Inst. tom. cap. 1.

vioremque expectare, non versiones tantum, non fabellas, non jocos etsi frugiferos. His itaque factum est, ut, sepositis versuum amoenitatibus, animum acrius in Theologica studia intenderet, pararetque citius editionem operis, in quo universam de cultu Sanctorum doctrinam plura in volumina distributam explanavit. Accomodatam sane hanc tractationem Trombellius duxit, nedum tempori (sic enim aetatis desiderium ferebat, erumpentibus contra eum cultum libris hominum impurissimorum), verum etiam pietati suae erga Superos singulari. Nimis longum esset, et abs re fortasse, omnia, quae in opere continentur, propius attingere. Itaque dixisse sufficiat: aperuisse in eo, quae sint propositum circa cultum patria Ecclesiae sensa, ab ejusdem incunabulis petita historia: vetera commenta labefactasse et nupera haereticorum, quibus majores nostros in haereseos invidiam perperam vocatos invicte eripit: Patrum praeterea, atque antiquiorum Theologorum sententias ut in concordiam adduceret, plura e dumetis obscuritatum explicasse: quaestionesque ingressum ad critices exactas leges, maxime ubi Carolinos expendit libros, et celebrem Adriani I. epistolam, luce ea monumenta sparsisse, quae non admo-

dum ab elapsi saeculi scriptoribus fuerant illustrata. Haec dum agit, non est praetereundum, quanta modestia in haereticis rejiciendis usus sit. Tridentinae Synodi exemplum persequens, eorum nominat fere neminem; immo amice cum ipsis dolenterque agit: quem morem servari Augustinus cum Donatistis, Pelagianisque volebat (a). Namque erat hoc Trombellio persuasum: aculeis orationis atque conviciis confirmari in errore eos, quorum etsi non bona causa, bonum tamen et persaepe fervens ingenium est, et ad maledicta promptum. In rei summa hoc illud primum fuit opus, cujus cum anno MDCCXL. primum volumen vulgatum est, statim auctori suo aures hominum, ut ex Plinio loquar, januamque famae patefecit. Mitto multa de laudibus, quas ab iis retulit, quorum acer erat in judicando sensus, atque omnium instar uno Benedicto XIV. contenti esse possumus. Is enim non modo saepius in suis operibus Trombellii lucubrationes maxime commendavit, verum cum perhonorificum de eo sermonem Quirinius Cardin. doctissimus apud Pontificem instituisset, illius de cultu SS. labores tantopere

(a) Serm. de verb. Ap. in nova serie CCXCIV.

probari sibi Benedictus testatus est, ut ejus oraculi Quirinius in epistola latine conscripta, Trombellioque data, memoriam exstare voluerit praeclarissimam (a). Quamquam neque Lipsiensium Actorum Scriptores praetereundi sunt, quorum gravis est hac in re certaque auctoritas. At illi: „ celebramus, inquiunt, merito Auctoris diligentiam, ordinem, et moderationem, ingenue fatentes, haud facile deprehensum iri inter Pontificios quemquam, qui telam propositam tam plene, et tam temperanter detexuisse sit existimandus „ (b).

VII. Sic oculos hominum dum in se converteret Chrysostomus, honore a suis auctus est promerito. Anno enim MDCCXXXVII. IV. Id. Maj. Patrum suffragiis Praesul primum nuncupatur: biennio vero post, redeuntibus generalibus Comitiis, Bononiensi S. Salvatoris Canonicae praeficitur; quod quidem munus non alia sibi ratione sustinendum tuendumque proposuit, quam ceteris facem ad virtutem praeferens. Non dubito, quin affirmari possit, Trombellii rectionem universo coetui nostro fuisse salutarem, sic ut

(a) Consule, si lubet, epistolam postremam alterius tomi inter editas Quirinianas.

(b) V. Acta Lips. ad an. MDCCXLVI.

gubernationis ejus memoria nunquam apud nos intermoritura sit. Sed hac de laude commodiore loco redibit sermo. Nunc quod instat.

VIII. Annus erat MDCCXLVI., quo tempore tradita Praesuli Azzoguidio Bononiensis Canonicae cura (hanc enim secundum administrabat) Romam concessit Benedictum Decimumquartum venerandi causa. Nam cum Pontifex egregias ejus animi dotes bene perspectas haberet (a), ejusdemque opera studioque, dum Bononiae Archiepiscopum ageret, usus esset familiarissime: iccirco pro benevolentia, qua eum complectebatur, per literas significavit, pergratum sibi futurum, si se Romam contulisset. Hujus igitur in conspectum ut venit, mirum est, quanto amore, quantaque liberalitate sit exceptus, ut omnes ei, quod in urbe usuvenit, amplissima quaeque ominarentur. Neque vero ullus dubito, quin si multi eumdem ventum nacti essent, occasionem navigandi arripuissent; videmus enim non paucos, cetera praestantissimos viros, honoribus inhiare, eorumque solicitudine propemodum desipere. Joannes Chrysostomus contra eo studio detrectare honores visus est, quo alii non raro

(a) Sic Em. Quirinius in laudata superius ep. memoriae prodidit.

assequuntur. Nam ob maximam, quam a Pontifice iniverat gratiam, cum multa impetrare potuisset, non modo pro se quidquam non petiit, quamquam juvit bene multos; verum etiam Pontifici de eo amplificando cogitanti, non verbis ad simulatam humilitatem compositis, sed generosa oratione restitit.

IX. Non deerunt fortasse, qui de tanta hac Trombellii abstinentia magnificentius a me, quam debuit, dictum putent. Quibus quidem haec ego reputanda proponerem: vivere etiam eos, qui se Trombellium Pontifici repugnantem audisse testantur: deinde omnem illam operam propemodum incredibilem, qua nihil non movit noster, ut Ordinis sui literarumque incrementum procuraret, facile ad propria commoda, honoresque augendos convertere potuisse: id in eo perpetuo fuisse observatum, favores potentum amicitiasque, quibus floruit, numquam ad utilitatem suam pertraxisse: semel atque iterum ipsi Lambertinio sese objecisse, ne commendationem auctoritatemque suam apud nostram Congregationem interponeret, primum ut Praesul renuntiaretur, tum ut Procurator Generalis crearetur.

X. Nonnullos menses Romae transegit Trombellius; quo tempore habuit sui studiosos com-

plures primarios viros et literatos, quorum amicitias mutuis officiis enutritas constanter retinuit. Sed cum longius ibi considere, quod Pontifex ei proposuerat, renuisset, ab eodem multiplici amoris significatione, atque amicitiae osculo per summam benevolentiam donatus, Bononiam ad sua studia revolavit. Redeo ad haec.

XI. Ut in manus hominum venere libri de Sanctorum cultu, senserunt illico Religionis hostes, strenue a Trombellio contra ipsos Catholicorum partes esse actas. Ergo indignantes de rejiciendo opere cogitarunt. Illustre erat per ea tempora inter Germaniae protestantes Kieslingii nomen hominis in nos acerrimi, ut editi ab eo libri patefaciunt. Merum os haereticorum Kieslingium dixisses. Is itaque cum respondendi onus libenti animo suscepisset, suos Exercitationum tomos contexuit, quas *antitrombellianas* inscripsit, ac Lipsiensibus typis commisit. Quirinius Cardin., cui Trombellius erat carissimus (a), ut primum rem cognovit, amicum de adversario monuit, et Exercitationes com-

(a) Quanta in aestimatione atque amore apud Quirinium Trombellius esset, non modo e superius laudata epistola colligitur, sed ex aliis etiam ad eumdem datis evulgatisque, tum e scriptis laudati Cardinalis contra Kieslingium.

municavit. Scatebant eae acerbitate, odio, scurrilitatibus: neglecta critice, perversa fides, sophismata congesta, quod solent deterrimae causae patroni. Haec tela ut vidit Jo. Chrysostomus contra se conversa, principio responsione non esse opus sibi persuasit. Sed urgere Quirinius, jubere Benedictus XIV. Accessit Kieslingii immodestia, qui privatis literis Joanni Chrysostomo missis, optione data, destituturum se inceptis promisit, si a defensione noster abstinuisset. Ille itaque, dubitatione sublata, vindicias operis lucubravit, edixitque Bononiae non suo tamen, sed adscititio *Philalethis Aphobi* nomine, indecorum, opinor, ducens tam dissolutum opus proprio nomine refutare.

XII. Quanta commendatione responsio digna sit, norunt docti, et amplissime ab literariae historiae Auctore est demonstratum (a). Sed operi non modica haec laus accedit, ut arbitror; temperantia nempe, quam sectarii audaciae opposuit Trombellius. Nam et conviciis abstinuit etsi lacessitus, et reprehensione absque asperitate usus est; cumque novisset Kieslingium de latinae linguae peritia palam plurimumque gloriantem, nihil hoc nomine dignum in Exercita-

(a) Vid. hujus vol. III.

tionibus praesetulisse, multa quidem paulo vehementius congesserat Jo. Chrysostomus, quibus Tulliastri hominis arrogantia frangeretur; sed pacatiore animo compressit inde censuram, maluitque hac in re liberalitate atque officio, quam scriptionis aculeis decertare. Hac mansuetudine factum est, ut ejus virtutem heterodoxus plurimum admiratus sit, primaque illa deposita persona, amicitiam ab eo expetiverit literis honestissimis; praeterea nonnullos libros a se impressos dono eidem miserit, ipsamque Trombellii imaginem, quam aere, proprio sumptu curaverat incidi. Quamquam vero hanc de Trombellio laudem leviorem nonnullis visum iri putem, ideo tamen praetermittendam non duxi, quod tota non naturae sed virtuti tribuenda sit. Natura namque erat in primis fervidus, et iracundiae stimulos, quod ex ipso vultus colore dignoscebatur facile persentiebat.

XIII. Interea dum unum vulgabat opus, alia quoque parabat deinceps proditura. Praecipue vero delicias suas in pervolvendis veteribus codicibus collocabat, quod studii genus ad persequendum non mediocre se Romae incitamentum habuisse profitebatur. Cum enim ibi studiorum causa versaretur, et forte Vaticanam

bibliothecam adiisset; accidit, ut in ea ab amicis inquireretur super aetate codicis nescio cujus. E bibliotheca vir quidam certo antiquiore saeculo exaratum fidenter affirmavit. Restitit comiter Trombellius: et *vide*, inquit, *num decimum tertium verius redoleat: sic ejus saeculi orthographiam, sic contractiones tum usitatas monere*; quae opinio cum omnibus, illique ipsi viro probaretur, incredibile est, quantopere juvenis voluntatem erga haec studia confirmaverit. Ita sumus homines: levibus persaepe causis ad res magnas excitamur, et minimis igniculis ad non vulgarem gloriam assequendam exardescimus. Hoc factum est, ut ejus libri toti antiquitatis luminibus liti sint atque ditati, nec iis exceptis, qui *ascetici* nuncupantur. Hinc plures ipse codices in adspectum lucemque protulit, aliique ut proferrent, auctor fuit. Optime namque judicabat, utiliorem literis praestare operam qui eruendis e bibliothecarum situ veterum lucubrationibus, si sint luce dignae, incumbunt, quam qui novos edunt libros; cum plerumque novi libri, si quid boni continent, antiquis acceptum referre debeant. Jam vero de his codicibus nonnulla dicamus.

XIV. Latebant in bibliothecae pluteis M.

Marini Brixiani Canonici nostri *Adnotationes in psalmos* nova versione ab ipso illustratos: quod opus adversa valetudine correptus exaedificare Marinus non potuerat. Eae vero cum expeditissimae essent, perspicuae, et psalmorum sensum exhibentes, atque a viro profectae de hebraeis literis praeclare merito (a), optavit vehementer Jo. Chrysostomus, ut in usum hominum utilitatemque prodirent. Oppido gestus est ei mos. Nam Jo. Aloysius Mingarellius tum Canonicus, nunc Abbas noster meritissimus rem strenue suscepit, et praestitit, ut spes erat, feliciter (b). Sed de Mingarellio nunc tacendum: quamquam libri de eo loquuntur, et pervulgata jam fama persona, in qua Steuchum, et Marinum ipsum redivivos suspicimus. Trombellio vero suam laudem non denegamus, qui quod per se, occupata opera, hebraeaeque linguae

(a) Marinus saeculo XVI. floruit, ea scilicet tempestate, qua nostra Congregatio complures habuit doctrina praestantes viros, in quibus Steuchus, et Marinus hic ipse eminuere, quorum primum J. Caesar Scaliger ep. LV. *hominem divinum, et verae literaturae sine dubitatione principem*; alterum *hebraeae linguae Priscianum* Cottonus appellavit.

(b) Ejusdem Marini vitam, Scriptorumque de eo testimonia cl. Mingarellius editioni praefixit, hebraeorumque Canticorum explanationem addidit, in qua postrema laus est excellens hebraeae linguae peritia. Vid. hist. lit. tom. I.

ignarus facere non potuit, ut alius efficeret, suasor adjutorque fuit; quique adeo totum aes, quod sibi e vendemiolis redibat suis, editioni optimae procurandae contulit. Prodiit opus Bononiae in duas distributum partes anno MDCCXLVIII. Primam partem Benedicto XIV. Trombellius per suam epistolam inscriptam voluit (a). Nam cum Bononiensem Ecclesiam obtineret ille, quo tempore Archiepiscopales aedes reficiebantur, humanissime apud nos commorans, Canonicis nostris in primisque Trombellio ad proferendos codices nondum evulgatos adjecit animos. Altera vero pars Bremondio dicata est, qui supremam Dominicanae familiae praefecturam gerebat: et hoc primum Anecdotorum bibliothecae S. Salvatoris volumen.

XV. Triennio post alterius voluminis prima pars sequuta est Blasio du-Chesnio Sanctae Genovefae Praesuli nuncupata. Tredecim in ea Ec-

(a) In ea epistola nuncupatoria autographos esse commentarios Marini vere pronunciat Trombellius: sed Bononiensi exemplari emendatius aliud autographum jussu Innocen. x. Pont. M. in Vaticanam bibliothecam superiore saeculo importatum fuit. Libenter id moneo, tum ut germanum autographum consuli possit, si quae nova paranda sit operis editio (perrara enim et exquisita ejusdem exemplaria sunt), tum quia hoc ad cl. Editoris commendationem plurimum valet, qui ut parum scite descriptum exemplar nostrum in bonam frugem restitueret, ingentem laborem, molestiamque devoravit.

clesiasticorum Scriptorum opuscula continentur, conjecturis, illustrationibus, doctrinisque Editoris ornata. Sed Paulini Mediolanensis libellus (qui nonum tenet locum) *de benedictionibus Patriarcharum* tractans a Mingarellio est explanatus. Haec vero omnia etsi auctorum nominibus, et luce, quam eruditioni sacrae afferunt, non mediocriter commendentur; duo tamen praestantiora ceteris videntur esse: primum, quod inscribitur *Exhortatio s. Cypriani de poenitentia*, quod fere totum scripturae divinae verbis rite compactis continetur. In eo Novatiani coercentur, a quibus Ecclesiae, graviora crimina remittendi facultas eripiebatur: emendanturque Catholici, quorum alii intoleranda asperitate usi, alii vero lenitati aequo plus indulgentes, Ecclesiae jura in Sacramentalis Poenitentiae negotio pervertebant. Secundum illud sequitur libellus sub Hilarii nomine, sive epistola ex iis, quae ad Episcopos mittebantur, uberem Christianorum dogmatum morumque institutionem complectens, quae cum gravissimis rebus abundans sit, et difficilioribus quandoque locutionibus sparsa explicatu dignis, propterea tribus a Trombellio dissertationibus aucta est, quibus omnia bono in lumine collocantur. Sed

cum de illius auctore sententiam in praefatione suam interponens, Hilarii Pictavorum Episcopi foetum esse statuisset, non stetit haec sententia erudito Feltrio Scholarum piarum tum Theologo, qui Antenicaeno potius Patri adjudicandum censuit: hunc vero non ut certum statuens, sed ut probabile sequens, S. Cyprianum conjecit esse. Nostra non interest neque Trombellii partes, neque Feltrii tueri: quamquam dici fortasse potest, subtiliter utrumque multa, quae non ita dilucide, disputasse. Unum sciri volumus: Feltrii argumenta Trombellius per literas ab eo sibi datas cum cognovit, tantum abfuisse, ut moleste exciperet, quin ad ea typis proferenda, qua erat modestia candoreque animi, eruditum adversarium excitaverit (a).

(a) Praestitit id Feltrius dissertatione in hunc libellum Romae edita typis Puccinellianis ann. MDCCLXVI. En quae prope finem de Jo. Chrysostomo habet. „ Ceterum moderatione quamvis maxima „ causam dixisse videar adversus Virum cl. de literaria rep. et de „ re Theologica optime meritum Jo. Chrysostomum Trombellium; „ nullo tamen modo, ut haec in publicum prodirent passus fuissem, nisi doctissimus Vir ille, quem honoris causa semper nominavi, humanissime mecum agens, veniam mihi hac de re fecisset amplissimam, aperteque significasset per epistolam amoris „ ac benevolentiae plenam, rem non injucundam, nec molestam „ me illi facturum, si quas privatim in epistolis ad eum datis proposueram difficultates, publicam in lucem emitterem. Tanti „ quippe facio ejus auctoritatem dignitatemque, ut eo vel inscio,

XVI. Jam vero ex his, ceterisque opusculis, quorum titulos in syllabo subjiciemus, tam multa testimonia petuntur, quibus veritates Catholicae elucidantur, rationesque, quibus nonnullae ad sacram criticen pertinentes opiniones solidantur firmissime, ut eorum numerum complecti non hujus loci sit. Ipsa opuscula perlegenda sunt; aut, si lubet, literariae historiae nonnulla capita, in quibus ex iis praecipua magno cum delectu judicioque video delibata (a). Neque minoris aestimanda sunt quae in altero tomo quatuor post annos edito continentur. Potiorem inter haec videntur tenere locum Claudii Taurinensis in libros Regum commentaria in duas partes divisa, de quibus hoc pridem judicium tulerat in *Bibliotheca Pistoriensi* cl. Zaccaria: ea tum ad historiam Ecclesiasticorum Scriptorum, tum ad rerum in causa Claudii Taurinensis Iconoclastae gestarum seriem, originesque dignoscendas maxime conducere. Viderat igitur edendi codicis utilitatem Zaccaria; viderat et Mansius doctissimus Lucensium Archiepi-

„ vel non aequo animo ferente, ne minima quidem in re ausus „ fuissem, edito opusculo ab illo discedere. Imo neque facultate „ ab eo concessa usus fuissem, nisi studiorum meorum ratio, ut „ istud consilii caperem, effecisset. „

(a) In vol. III. lib. I.

scopus, Chrysostomique amicus; sed illi cum diutius Pistorii (ibi enim asservabatur codex) consistere non liceret: alter vero aliis operibus edendis interciperetur; Trombellius quam in sua bibliotheca habebat commentariorum partem, et aliam, quam e Pistoriensi codice Mansius exscripserat, humaniterque eidem concesserat, evulgavit. Mitto cetera.

XVII. Huc revocari possunt veteres quaedam Litaniae precesque antiquitus in Sabbato Sancto recitari solitae. Porro monumentum istud liturgicum satis dignum, cum in manus ejusdem forte incidit, nihil aliud erat (eheu quot antiquitatis divitiae miserrime sic periere!) nisi ignobilis libri integumentum. E squalore igitur, imo ex ipso igne, cui jamjam consignandum erat, sagacitate diligentiaque ejus ereptum est, donatum literis, illustratum. Nam super illo cum nonnullae quaestiones inter eruditos ortae essent: de *septena* (sic enim Litaniae inscribuntur) quid esset: de Trinitate in illis non invocata: de titulo Virginis: de quibusdam Sanctis, ac praeterea ad quam Ecclesiam, quodve tempus pertinuerint; hae, inquam, quaestiones occasionem editori dederunt dissertatiunculam lucubrandi,

quae Calogerano thesauro inserta est (a). Sequitur post illas sermo quidam brevis *de Abrahae filio* vetusto Patri tribuendus. Hanc opellulam e praenobili bibliothecae nostrae volumine, quo *Lactantius* continetur, primum Trombellius excitavit; neque excitavit solum, sed cum amanuensis imperitia erroribus scateret, ex ingenio ille perpolivit (b).

XVIII. Est etiam cognitione dignus S. Antipatri Episcopi sermo de B. Virgine. Hujus exemplar viderat Trombellius, cum Romae esset, in Vaticanae bibliothecae codice inter latinos 3835. Illico nata est vulgandi cupiditas. Petiit: impetravit. Cl. Cacciarii diligentia usus, sermonem in manibus habuit fidelissime exscriptum, at non qualem ratus erat. Namque perlegenti accidit, ut pessime corruptus inveniretur, non modo amanuensis vitio (quod genus hominum plerumque ineruditum esse vulgatum est), verum etiam interpretis; e Graeco nempe fuit

(a) Consulito hujus collectionis vol. xxxii.

(b) Lactantius noster sexto, vel septimo Ecclesiae saeculo exaratus est, ut norunt eruditi: non eodem tamen charactere est praefatus sermo, quamquam antiquissimo sit. Utriusque specimen Jo. Chrysostomus dedit in libro, cui titulum fecit: *Arte di conoscere l' età de' Codici ec.*



latine redditus, sed ea, ut Trombellius ipse suspicatur, tempestate, qua per summam calamitatem cum pauci graecam latinamque linguam callerent, non pauci tamen erant, qui ex graecis libris latinos facere pertentarent. Is itaque cum omnia in eo incompta perturbataque vidisset, horrere primo ac propemodum animo despondere; sed cum inde statuisset, commode sermonem seniori Antipatro Bostrorum in Arabia Episcopo tribui posse; cumque in eo Deipara laudibus ornetur, quas dare illi Ecclesia consuevit, et insuper catholica adversus Novatorum intemperantiam confirmentur dogmata: vicit erga Deiparam amor; vicit veritatis solicitudo: sicque ingenii lacertos in laborem improbum ille contulit intenditque, ut de carbonibus, quod ajunt, thesaurum habeamus; opusculum scilicet, emendationemque maxime doctis comprobatam (a).

XIX. Interea dum sacra antiquitas intra doctas Trombellii manus juvenesceret, Canonicam quoque suam, quibuscumque rebus poterat, ornare non praetermittebat. Prae ceteris in id incubuit, ut historiam plenam perdoctamque ha-

(a) Tota res epistolari dissertatione contenta in Calogerano vol. XLIII. edita est.

beremus tum ejus, quae a templo Divi Servatoris nomen habet, tum Rhenanae Canonicae, unde illa derivata est, antiquissimae. Plura igitur hanc in rem monumenta collegit, italoque sermone Bononiensibus commisit typis anno MDCCLVI. De Rhenana, quae tertio fere milliario Bononia aberat, sic statuit: eam multo ante MCXXXVI. annum erectam, contra quam Pennottus sentit, cujus argumenta non vagis conjecturis, sed historica luce dissipantur. Illius vero institutionem Canonicis primariae Bononiensis Ecclesiae acceptam refert, qui regularis antiquioris disciplinae servandae causa cum inter sese dissiderent, sic lis finita est, ut qui erant veteris propositi tenaciores in quemdam locum prope Rheni ripas quasi in pacatum tutumque portum secesserint, ubi peramplam Canonicam templumque Sanctae Mariae sacrum aere proprio constituerunt. Discrimina deinde subnectit sequiorum temporum. Ut Monasterium dilapsum bellorum impetu, ut inde refectum, ut postremo in S. Salvatoris aedes Bononiam a Canonicis demigratum. Tum facta persequitur, quibus regularis haec societas penitus occidisset, nisi accersitis a Francisco Ghisilerio nostro Ambrosianis Eugubii, nova hac optimaque consitione, et numerus et

prisca nostrorum disciplina reviguisset (a). Inter haec adversarios (habet enim in primis Pennottum et Maurolicum impotentis ingenii homines alia sentientes) sic premit, tantaque praeterea copia ac varietate, quidquid dicit, illustrat, ut discussam dicas omnem omnium temporum, per quae divagatur, eruditionem. Multa post haec retulit de Bononiensi Canonica, de viris illustribus, quos Congregatio nullo non tempore dedisse videtur literis Ecclesiaeque. Tandem plura edisserit de Rhenano necrologio perantiquo, ex quo magnam partem haec historia diducta est. De qua quidem illud sine errore affirmari potest: eam non modo res nostras propius attingere, sed Bononiensium quoque res, et magnam literaturae partem illuminare. Itaque nonnullos video, qui de rebus ad Bononiensem historiam pertinentibus post Trombellium scripsere, non parum eo opere usos esse; laudatores vero permultos reperi viros laudatissimos.

(a) Canonici Regulares S. Augustini Monasterium S. Ambrosii prope Eugubium tum temporis incolentes paucis ante annis quam Rhenani fierent, a Greg. XII. Lucae primum approbati, deinde Martini V. decreto veri ac germani Canonici declarati sunt; cujus Pontificis Maximi indulgentia, concessuque Ghisilerio nostro accesserunt. Vid. Tromb.

XX. Haec ille monumenta etsi uberrime persecutus est; reliquit tamen nobis, quod iis non sine grati animi jucunditate adjiceremus: cetera illa ornamenta, quibus per haec et sequiora tempora Canonicam ipse suam insignivit. Complecti minora nolo, quae communia cum aliis esse solent, et Bibliothecam auctam, Museumque conditum solummodo nominabo. Illa namque jam antea illustris, ut superius attigimus, estque pridem a Mabillonio, Montfauconio, aliisque in suis itineribus memoriae proditum, tantis paulatim accessionibus a Trombellio locupletata est, ut inter nobiles Italiae bibliothecas numeretur: ceteris vero, quibus florentissima Bononia instruitur, manu conscriptorum codicum copia, praestantiaque antecellat. Quare Trombellii rogatu Carolus III. tum Neapolis, nunc Hispaniarum Rex munificentissimus bibliothecae S. Salvatoris Herculanensium monumentorum libros dono concessit: quod quidem munus nonnisi ab insignioribus bibliothecis impetrabatur. Eminet in ea Jo. Chrysostomi curis collectio liturgica, de qua Montefanius et Maniágus duo viri docti, qui Bononiae erant a bibliothecis, sic statuerunt: isthac exquisitiorem vix a magno viro principe comparari potuisse; sed homo diligens et perspi-



cax tanta sagacitate odorabatur bonos libros et pervestigabat, ut venaticum illorum canem dixisses. Huic vero supellectili augendae, quidquid sibi pecuniarum erat, plena manu conferebat, excitabatque amicorum sedulitatem, quos habebat studiorum fautores, in quibus honoris gratia numerandi prae ceteris sunt Franc. Zanottius, Muratorius, Monsacratius noster, Topslius Abbas Pollinganus, Tiraboschius, Borgia et Gallettius cl. Romani Praesules: in primis vero Eminentissimus Garampius semper cum laude nominandus: qui doctissimus cum sit ipse, doctrinae et doctorum hominum patronus numquam non extitit, etsi gravissimis pro Christiana republica curis occupatus.

XXI. Jam vero praeter codices, antiquitatis etiam cujuscumque generis monumenta undequaque collegit; quod eo fecit, innato cuidam amori ut satisfaceret, quo in omnem antiquitatem ferebatur, utque Canonicae ornamento consuleret aeque atque optimorum studiorum utilitati. Etenim non ignorabat vir doctus, omnem iis monumentis illustrari historiam, priscique aevi cognitionem studiosorum oculis propemodum subjici. Sed cum hanc utilitatis partem mirifice a numismatum studio proficisci intelligeret; in illis

propterea conquirendis omni nisu incubuit, in quîs virorum illustrium series est prae ceteris absolutior. Ea vero graeca sunt, romana cum consularia, tum imperialia, alexandrina, ad urbesque autonomas pertinentia; neque tantum numero, sed varietate etiam, pulchraque integritate spectanda. Excrevit horum numerus ex Apostoli Zeni Museo distracto, cujus non exigua pars post obitum viri cl., qui Trombellii, quamdiu vixit, amicus atque admirator exstitit (a), in nostrum diducta est ejusdem Trombellii cura. Id non inutile erit iis scire, quos Zeni industria in eo constituendo, delectusque non latet. Ceterum inedita in Museo nostro non pauca. Erant et alia nonnulla, quae clarissimis viris Odoardo Corsinio e Scholis piis (b), Eckellio et Zucconio e S. J., Zanettio, atque adeo Chrysostomo no-

(a) Vid. vol. VI. epistolar. Zeni ed. Venet. an. MDCCLXXXV. typis Sansonianis.

(b) Incomparabilis hic Trombellii amicus epistolam latinam super numismate in honorem Liviae augustae ab Atheniensibus, ut putatum est, percusso satis longam conscripsit. Haec ad Trombellium data (quod ejus erat numisma) anno MDCCLXVI. Bononiae prodiit, magnoque ab eruditis plausu excepta est, ut cl. Fabronius in ejus vita scripsit. Ego vero a doctissimo Blancanio, cujus auctoritatem magni facio (is est, qui apud Bononienses antiquitatis studia senescere non patitur) ab eo, inquam, audivi de numismatis sinceritate prudenter esse addubitandum. Aliorum hac de re judicium esto.

stro dedere copiam dissertationes omni eruditionis fruge ornatas elucubrandi.

XXII. Accedunt antiqua aposphragismata, seu sigilla ex aere ut plurimum literis insculpta, quae ad Ecclesias vel Ecclesiasticas personas, vel ad Venetiarum Duces, aliosque pertinuere. Inter haec lectissimum unum in forulis servabatur ad Carferonianam spectans, vulgo *Garfagnana*, ut ipsa praeferebat inscriptio: CARFAGNANA BONUM TIBI PAPAM SCITO PATRONUM. Monumentum conspicuum ipsum per se, quodque pontificia jura insigniter commendabat, Pontifice M. munus plane dignum est judicatum. Doctissimus Praesul Garampius cum de eo illustrando humaniter per epistolam a Trombellio fuisset adductus, librum multo elegantissimum suaque eruditione dignum conscripsit, et Clementi XIII. sacravit (a); tum

(a) Huic titulum fecit: *Illustrazione di un antico Sigillo della Garfagnana. Roma MDCCLIX. presso Pagliarini.* Reddam nonnulla verba cl. Auctoris, quae huc pertinere videntur. „ È questi un „ Sigillo (sic pag. 3.) di bronzo della grandezza e forma, che rap„ presenta il disegno prefisso in fronte a questa nostra operetta, „ posseduto dal Rmo P. D. Gio. Grisostomo Trombelli Procurator „ Generale della Congregazione de' Canonici Regolari di S. Salvato„ re, uomo tanto benemerito della sua Congregazione, e della re„ pubblica letteraria, e diligentissimo raccoglitore d' ogni genere „ di antichità, delle quali ha arricchito il Museo del celebre Mo„ nastero di S. Salvatore di Bologna, dove nello scorso Ottobre „ visitai con mio sommo contento non solo il Museo, ma anche

cl. Borgia cum id monumenti, cimeliis commutatis, obtinuisset, Clementi XIV. obtulit, restituitque. Possem hic articulatim recensere statuas, annulos, asses, vitrea, cimelia cetera; verum haec, quae existimari per se volunt, communia tamen aliis hujus generis collectionibus ut fere sunt, expeditius erit praeterire.

XXIII. Neque ille cum summam ageret senectutem huic se studio addixit, ut ex errore in ephemeride literaria florentina (a) notatum vidi, sed post exactam juventutem: quamquam a primis annis adolescentiae erga eadem animatus videbatur. Ut vero securius hanc spartam feliciusque excoleret, cum viris, quos saeculum in hoc genere praestantes habuit, frequenter per literas communicabat (b); quod enim ad cete-

„ la Biblioteca ripiena di preziosissimi codici manoscritti. E sic-
„ come il suddetto P. Abate abonda non meno di dottrina, che
„ di gentilezza; perciò mi ha egli il primo dato notizia di que-
„ sto Sigillo: me lo ha fatto considerare sotto gli occhi, ed ec-
„ citato a pubblicarlo.

(a) Num. 22. an. 1784.

(b) Horum doctae epistolae, Principum praeterea, ac virorum illustrium ad Trombellium datae partim in Bonon. bibliotheca nostra servantur, voluminibus his numeris consignatis 847. 848. 849. 850. 897., partim apud me sunt, quae in volumina redigentur, partim in manus viri doctissimi Jacobi Blancanii, Trombellii amicitia benevolentiaque iverunt. Utinam ab harum plurimis proferendis in lucem et prudentia temporis, et modestia virorum, qui

ras artes disciplinasque pertinet, ut mutuis doctorum hominum officiis mirifice enutriantur, id nummariae studium peculiari quodam jure sibi vindicat. Quod si id studii tantum Trombellio nominis non peperit, quantum, opinor, pro ejus ingenio parere potuisset, cogitandum est: ad quem finem ab illo excultum sit: tum etiam graviora opera consideranda, quibus Religionem literasque insigniter sibi ipse demeruit. Interea multis ad proferendas antiquitatis divitias auctor fuit (a), nonnullosque etiam suis ad haec studia praeceptionibus informavit. Itaque duo eruditi viri, Reposatius praepositus Iguvinus, et Zanettius Guido Bononiensis, quidquid in re nummaria profecerunt, id fere totum Trombellio acceptum referunt non sine testimonio grati animi luculento (b).

XXIV. His rebus factum est, ut quotidie magis nitesceret Trombellii nomen, in aestima-

scripsere, non impediremur! quam pulchra eruditionis argumenta haberemus! quantam Jo. Chrysostomo gloriam adderet consentiens illa laus doctorum hominum atque bonorum, incorrupta vox, ut ait Tullius, bene judicantium de excellente virtute!

(a) Laudatur hoc nomine a cl. Eckellio in suis *Num. vet. anecd.* edit. Viennae Austriae ap. Kurzbeck 1775. pag. 250., ubi Laodiceenum Trombellii nummum spectandae notae illustratum reperies.

(b) Vid. Zanettii *Nuova Raccolta delle Monete, e Zecche d' Italia. Bologna*, tom. 2. pag. 9., et tom. IV. pag. 4.

tionemque veniret virorum etiam Principum, quibus placere non ultimam esse laudem, scite poëta lyricus pronuntiavit, Pontificibus summis carissimus fuit; maxime Benedicto xiv., quod alibi dictum est. Eorum plures exstant literae honorificentissimae amorisque plenae ad ipsum missae. AEstimavit eumdem Maria Teresia Imperatrix et Hungariae Regina Apostolica, quae splendidos illos libros, quibus Vindobonensis Musei numismata, et nummi describuntur, liberaliter donavit. Quanti eum fecerit Victorius Amedeus Sardiniae Rex, illud ostendit, quod ad Theologicam facultatem in Taurinensi Licaeo pertractandam, honestissimis propositis praemiis, ab eo invitatus est: quam ille conditionem si non accepit, congregationis patriaeque amor effecit, quo Bononiae inter suos considere maluit, quam Augustae Taurinorum. Sed generosi in patriam studii non infrequentia hujusmodi sunt apud illustres Bononienses exempla, quae aut literis jam commendata habemus, aut a posteris, credo, commendabuntur. De Josepho Hassiae Darmstadiae Lantgravio atque Augustano Episcopo quid dicam? Cujus erga Trombellium amorem plures epistolae declarant, ab eoque calix dono missus una cum patena magni ponderis ex

argento inaurato confectus, eximioque opere caelatus. Quamquam dicendum est: ad Augustani Principis benevolentiam comparandam Trombellii amicos multum contulisse, librosque a se ejus nomini consecratos; Sabaudiae vero Ducem eo sibi opere devinxisse, in quo praecepta tradidit ad veterum tum latinorum, tum italorum codices distinguendos accommodata. Est namque id operis majestati ejus Principis inscriptum, lucemque aspexit Bononiae anno MDCCLVI. Quod pluries typis recusum sit, satis ostendit operis praestantiam (a). Itaque stupendum non est, si plurimum pro eo gratiae harum rerum amatores Trombellio habuerint etiam post egregia Mabillonii et Montfauconii merita in diplomaticam eruditionem. Nam nec idem est institutum, quod docti Maurini sibi proposuerunt, et diversa nostratium ortographia, literarum mutationes, con-

(a) Cum, Trombellio insciente, an. MDCCLXXX. recnsus fuisset hic liber typis Neapolitanis, eique *Diplomaticae* titulum arbitratu suo Editor praefixisset, moleste id tulit noster auctor aeque atque menda, quibus conspersa et commaculata est editio. Eapropter hanc notam marginalem cuidam exemplari apposuit: „ Questa „ edizione è assai scorretta. Inoltre il titolo è posto a capriccio. „ L' arte di conoscere l' età de' Codici è una piccola porzione, o „ anche il frutto della diplomatica, non la diplomatica stessa, „ che abbraccia assai più. Vi manca pure la piccola, ma opportunissima giunta posta nella seconda edizione Bolognese. „

tractionesque syllabarum, et nexus; quae illi de transalpinis soliciti, fere illibata reliquerunt. Altera Bononiensis editio duabus epistolis locupletata est, Tartarottii una, Trombellii altera. Nempe judicium de hoc libro tulerat celebris ille vir in epistola ad amicum data, sic ut librum impense laudaret, quasdam tamen opiniones extenuaret, quasdam paulo plus a Jo. Chrysostomo amplificari potuisse contenderet. Hic de re tota ab amico certior factus, ejus epistolae ut sibi copia indulgeretur et petiit, et assequutus est: quo facto, perbrevem responsionem concinnavit, quae quidem, arbitror, Tartarottio ipsi, si viveret, non displiceret. In ea namque temperanter, quidquid in libro ediderat, opinionum confirmat: negatque ob propositam sibi ipsi in scribendo brevitatem, explicatiora, quae scripserat, esse debuisse: Tartarottii autographum in bibliotheca Roboreti publica servatur.

XXV. Sub idem tempus illustrando veteri puteo dedit operam. Res sic se habuit. Cum villici in quodam Dominicanorum praedio non procul a Bononia dissito terram altius foderent, puteum praeter expectationem nacti sunt antiquissimum. In eo literarum notae pulcherrime insculptae significabant: Lucium Apusulenum quem-

dam Apollini puteum illum, Genioque Caesaris dedicasse, puteoque puteal adjunctum, laurosque (a). Monumentum, quo nescio, an post *marmora Felsinea* illustrius sit ullum, Bononiensi Scientiarum Instituto donatum est. Trombellius vero, ut erat in omni antiquitate versatus, argumenti nobilitate captus tenere se non potuit, quin de veteribus puteis quaerere, eorum dedicationes persequi, de Genio Caesaris, de L. Apusuleno scire vellet. Itaque dissertationem adornavit, quam laudatissimi viri Franc. Zanottius, et Cajetanus Montius cum perlegissent, magnopere collaudarunt, typisque committendam duxerunt (b). Non id tamen Trombellius praestitit, sed manuscriptam dissertationem in manus amicorum transtulit. Quamobrem non ediderit, satis mihi notum non est. Sed cum Paciaudus, Pontificis jussu, Romae sententiam suam de puteo aperuisset, iniissetque aliam in explicando

(a) Inscriptio putei περιστομιω insculpta sic habet:
APOLLINI . GENIOQVE . AVGVSTI . CAESARIS . SACRVM . D. S. P.
L. APVSVLENVS . L. L. EROS. MAGISTER . PVTEVM . PVTEAL . LAVRVS.

(b) Vide quartum Bon. Inst. Comment. tom., et Pauli M. Paciaudi commentariolum, cui titulus est: *Puteus sacer etc.* Romae a Palearinis excusum anno MDCCLVI.

viam (a); suspicor, amicitia, qua cum Paciaudo Trombellius jungebatur, et aestimatione erga illum factum esse, ut liberali huic humanoque officio locus exstiterit.

XXVI. Anno MDCCXLVI. inclita Bononiensis instituti Academia, imprimisque Franc. Zanottius (qui, quantusque vir!) ejusdem a Secretis, cum non mediocre Trombellio indicium voluntatis atque existimationis dare vellent, eum plane nihil hac de re cogitantem inter Academicos Socios retulerunt. Sic et illum Academia illustravit, et ab eo vicissim illustrata est. Nam praeter nominis commendationem, qua plurimum valebat, non unam eidem operam Trombellius

(a) Trombellius puteum haud fuisse sacrum contendebat, sed in gratiam usumque peregrinorum factum; etenim pluvialis aqua sacris faciundis minime idonea exstitisse illi videbatur: Caesarem, cujus Genio puteal dicatum, non sacratum esse contendebat, Neronem probabilius esse statuit: Lucium Apusulenum non sacris, sed gregi potius praefuisse; itaque *magistrum pecoris* eumdem appellavit. Dissidet in his opinionibus a Trombellio Paciaudus; fatetur nihilominus, omnem illam laudem, quam ei a multis annis in omni literaturae genere tribuebat, merito deberi, vel ex una illa scripta dissertatione sese intelligere: eapropter permittere, opellulam suam in hominum lucem manare, ut Trombellius de sua etiam evulganda cogitaret: „ Licet enim (inquit prope finem commentarioli) „ nostra nobis verosimilia videantur; non dubito, quin *pro studiis* „ *hominum semper diversa probantum*, Trombelliana interpretatio „ et plurima affluens doctrina, et a magno viro, in primisque cla- „ ro conscripta multis perplaceat. „

contulit, ut Instituti Acta patefaciunt. Itaque disseruit in Academia de tela ex genistarum corticibus confecta, de ratione opificii, deque emolumentis, quae ex iis fruticibus, si conveniens labor atque ars accesserit, capi possunt: tum de numismatis quibusdam gallicis dono ad Institutum a cl. Tithono Tilleto missis. Trombellio namque Academia, quem magni in re antiquaria faciebat, cum recognoscenda tradidisset, ab eoque optasset, quid essent, scire, quidque de illis ipse sentiret; expectationi Sociorum satisfecit, epistola ad Zanottium scripta: in qua cum de iis rebus diceret, condendorum numismatum artem ex occasione Italis attribuit; quod illam scilicet multis jam saeculis intermissam Veronensis quidam pictor revocaverit.

XXVII. In quo tamen plus curae adhibuisse visus est, opusculum illud fuit, in quo, incitamentis Zanottii morem gerens, de nauticae pyxidis inventione disseruit. Videbat Jo. Chrysostomus, id argumenti densa caligine septum esse, perpetuisque Scriptorum litibus disseminatum. Quamobrem ut aliqua statueret, ut multa rejiceret, omnem fere eruditionem pertentavit. Acum nauticam apud Sinenses jamdudum ante Europeos in usu fuisse autumat: illam ex Asia

in Europam a Veneto quodam Mercatore devectam, deinde ab amalphitano cive, tum ab Anglis commodiorem in usum elaboratam perfectamque. Huetii interea argumenta infirmat, volentis ab AEgyptiis Sinenses profectos esse: librum, qui *de lapidibus* inscribitur, ab Aristotele abjudicat, aliasque dejicit opiniones, quas omnes recitare, alieni instituti esse putaretur. Hoc intelligi volumus, quod ad ejus laudem pertinet: opusculum *multiplici, justoque omnium plausu in Academia fuisse perlectum*, quod Abundius Collina Camaldulensis, isque Academicus declaravit (a). Et vero tanta cognitio rerum, quantam in ea dissertatione spargit Trombellius, quaeque physices historiam attingit, non admodum ab eo expectabatur, qui et anteactae vitae tempus in alia longe studia fere totum contulerat, et cum haec scriberet, regiminis curis, quae animum a studiis avocant, inserviebat. Sed singularis ingenii vis, qua ad omnia promptus inveniebatur, quod alibi animadversum est, fecit, ut hoc etiam nomine non modicam ille laudem reportaret. Interea Collinae illi ipsi (quoniam quaecumque hac de re dici possunt, in opinione sunt posita) tum de inventio-

(a) Vid. tom. II. part. II. Actor. Inst. pag. 372.

nis tempore, tum de ratione, qua ejus pyxidis usus in Europam invectus est, aliter quam Trombellio erat persuasum. Constitit huic res, statimque Collinam adiit, quocum amicissime de opinionum utriusque discordia collocutus, pergratum sibi futurum professus est, si quid ille sentiret, scripto committeret. Novum, sed non unicum in Jo. Chrysostomo modestiae exemplum, dici ut possit, nihil ipsi aut humanitate prius, aut veritate carius exstitisse. Ad humanitatem peraeque ac eruditionem pertinet, quod cum collati sibi beneficii gratias ageret Academiae, has ut aliqua ratione rependeret, antiquum inventum, quo vividioris auri lamellis, pulchrisque coloribus ab antiquis ornabantur codices, eidem communicavit. Etenim inter artes, quae postremis temporibus periisse, aut labefactatae esse videntur, etiam isthaec numerabatur. Hanc itaque cum e vetusto bibliothecae codice extrusisset, primo experimentum de ea capere voluit, deinde rem Academiae exponere, atque adeo codicem ipsum communicare, inventa plura venustatis commodique plena continentem; quod Sociis accidit jucundissimum (a).

(a) Reperitur laudatus Codex sub num. 165. inter mss. bibl. S. Salvatoris, estque xv. saec. exaratus.

XXVIII. Venio nunc ad libros, qui non minus doctrinam auctoris produnt, quam pietatem erga superos singularem; ac statim nominandum est opus illud in sex tomos divisum, quod B. Deiparae vitam, cultumque complectitur. Nihil de ejus amore dicam erga dominam hanc potentissimam, quam a puero studiosissime semper coluit. Supra quam dici potest, loquitur opus ipsum per se: quod quidem jam a multis annis meditatum, tum serio, ceteris posthabitis, edere decrevit, cum animadvertit in Kieslingii exercitationibus de dignitate atque honore Virginis vehementer detrahi. Anno igitur MDCCLXI. (erat tum Trombellius Praesul Generalis Congregationis nostrae, cui superiore anno fuerat praefectus) primus liber Bononiae prodiit latine conscriptus: deinde reliqui. In his, ut propositum postulabat, historici primum partes agit, et Mariae gesta describit. Sequitur de nomine et virtutibus: de interventu ac favore, quo nobis opitulatur. Tum egregii tituli accedunt, a Patribus eidem impertiti. Tandem quo in honore semper ab Ecclesia quantoque habita sit: qualis esse debeat erga ipsam cultus, quaeque ex eo emolumenta capi possint, explicat, illustratque. Magno labore hoc opus Trombellio ste-

tisse, multa declarant: amplitudo operis, ordo, Theologicae divitiae in eo sparsae, criticaeque lumina. Quae *multae prudentiae ac consilii* argumenta cum Tullio diceres, tanta diligentia judicioque versat, ut veritatis ac partium offensionem feliciter declinet. De *Lauretana aede* tractatio salebrosa in primis existimatur esse. Ad hanc ut ille manus admovit, sic rem in suo lumine collocavit, sic se áb adversariis expedivit, ut epistolaria nostra manuscripta relegens, cum in frequentes doctorum hominum commendationes incidissem de Trombelliano opere gratulantium, in ea tractatione collaudanda fere omnes viderim conspirasse (a). Maxime vero in argumentis, de quibus vel omnis propemodum antiquitas tacet, vel apocryphis narrationibus aut errorum impuritate foedata sunt, quantum elucidavit! a fabulis vindicavit! purgavit! ad aequum restituit! Interea dum bonus criticus esse vult, intemperantioris illius criticae scopulos devitat, cui indulgentes moderni quidam homines, qui praejudiciis vacui haberi volunt, atque *illuminati* dici, suam ipsi sibi perniciem fabricantes, in pietatem omnem ac religionem miserrime armantur.

(a) Appello codices pag. xxxviii. numeratos.

XXIX. Ut imperitorum latinitatis intellectui pietatique consuleretur, italicae linguae maximam partem operis donaverant duo praestantes Jesuitae, ut ex Trombellio audivi, et nonnullae literae testantur ad eumdem ab amico datae; sed cum forte scripta in manus hominis oeconomica potestate abutentis cecidissent, factum est, ut res aeque ac spes frugiferi laboris evanuerit. Ceterum si cui umquam vel versionem instituere in mentem veniat, vel alteram operis editionem adornare, ei auctor sum, ut exemplar consulat bibliothecae nostrae Bononiensi immissum, in quo plures marginales notae Trombellii autographae occurrunt; ego vero fasciculum additamentorum apud me servo, non pauca continentem e Deiparae vita mutuata, quam Epiphanius monachus isque presbyter graece conscripsit (a).

XXX. Nec vulgaris laus tribuenda est libris, quos paulo post italo sermone condidit, de vita et cultu S. Joseph, tum etiam SS. Jôachim et Annae: quibus addendus est singularis de Angelis liber, qui Bononiensibus typis anno, quo Trombellius ex hac vita migravit, iterum cusus

(a) Hunc libellum e ms. codice Naniano cl. Mingarellius noster exscripsit, e graeco latine reddidit, et brevibus scholiis illustravit. Romae, apud Francesium an. MDCCLXXIV.

est. Habuit in his unde pietatem non minus ac ingenium exerceret. Nam qui harum tractationum, quae ex historia vetere maxime ducuntur, indolem ac naturam cognitam habent, sciunt, quam operosum sit propter difficiles et caliginosos antiquitatis calles, narrationum veritatem acu, ut ajunt, tangere, et quam saepe contingat, ut historia fabulis finitima adinveniatur. Hinc non video, quî nonnullis humiliora haec studia visa sint, quam quae ab Jo. Chrysostomo expectari potuerint, ut leniter a nonnemine eapropter reprehensus sit. Ea namque studia religioso, imo catholico quovis viro docto plane sunt dignissima, maxime Trombellii more tractata. Praeterea non modo ornare rem literariam publicam sibi Chrysostomus proposuerat, sed etiam pietatem erga superos fovere suam, atque excitare ceterorum. Itaque in his operibus expressam veluti perfecti et revera orthodoxi literati imaginem nobis reliquit, cujus exemplum (audeo dicere) utinam multi viri docti imitarentur!

XXXI. Libros postremo recensitos, cum Deiparae vitam persequeretur, praeparaverat: eos tamen antequam perficeret, Ordinem edidit officiorum Ecclesiae Senensis ab Oderico ejusdem

Ecclesiae Canonico scriptum an. MCCXIII. In scriniis bibliothecae Senensis condebatur codex, quem plures summopere laudaverant: nemo ediderat. Cum Senas ille se contulisset, quoniam in itineribus dum versaretur, antiquitatis delicias, quascumque poterat, praelibabat; habuit in manibus codicem, et luce multo dignissimum esse assequutus est: apparere ex eo, vetus institutio quaenam esset apud Canonicos, quos modo Regulares appellant, in sacris officiis obeundis: quae disciplina, vivendique ratio iis esset proposita: quantaque esset apud majores veterum canonum rituumque observandorum sedulitas. Codici haec quoque laus accedebat: quod paucissimos illi pares habeat Italia nostra. Scilicet nemo nescit, quot superioribus saeculis insidiae bibliothecis nostris structae sint: quot codices praesertim sacri deperditi, dilacerati, in Gallias, Germaniam, Angliam distracti (a). Edidit igitur librum, melioremque fecit. Nam quidquid ad explicandos ritus conduceret, vel ad communiendos, cum aliisque comparandos, ex

4

(a) Quid elapsis saeculis bibliothecae S. Salvatoris acciderit, non injucundum erit ex Tromb. resciscere in libro, cui tit. *Memor. Ist. di S. Maria di Reno ec.*, ubi de nostra bibliotheca sermo est.

ea cognitione rerum , quam tenebat, et ex codicibus illis suis perantiquis, tamquam ex opimo fundo ac feracissimo protulit, Ordinique subjecit. Eo factum est, ut librum habeamus, ex quo Ecclesiasticas consuetudines per Italiam observatas, non unice Senenses, liceat haurire.

XXXII. Annum agebat alterum ac septuagesimum, quo tempore otiosam et quietam aetatem transigere debuisset. Valetudine utebatur afflicta et periculosa, quippe qui enterocele laborabat, tenaciore in studiis assiduitate contracta, aucta vero negligentia: herpes etiam acrior urgebat, sed antiquus. In tam incommoda senectute constitutus, quam ingens curarum onus asperitasque premebant (quintum enim Canonicae Bononiensis gubernationi praeerat), non consenuit in sene optimo scribendi laus; nam grande opus et laboriosum aggressus est, quo universam Sacramentorum doctrinam liturgicis, ac polemicis dissertationibus illustraret.

XXXIII. Magna erat in eo liturgicarum rerum peritia: magna librorum id genus supellex, praesertim mss., cujus quale judicium tulerint Montefanius et Maniágus, paulo ante dictum est. Expectatio vero operis et auctoris tanta, ut nihil a sacrarum rerum et antiquarum ama-

toribus avidius expeteretur, neque aptior quisquam inter nostrates Trombellio perficiendae rei putaretur esse. Huic expectationi pro viribus satisfecit, cumque eo, quasi cum altero *Edmundo Martene*, viri docti gratulati sunt (a). Certe magni illius Liturgici exemplum est persequutus, et eo ordine, quo laudatissimos ille libros *de veteribus Ecclesiae ritibus* composuit, suas etiam noster dissertationes digessit. Nec diligens atque industrius homo domestica librorum gaza contentus fuit: italicas, atque exteras bibliothecas qua publicas, qua privatas amicorum ope excussit. Multum de Germanorum ritibus, aliarumque Ecclesiarum instruxit doctissimus Card. Garampius, codicibus mutuato missis cum fieri potuit: sin minus, aliena manu, vel sua quandoque per incredibilem humanitatem descriptis. Topslio Pollingano Praesuli, seni optimo, haec quoque laus danda est; is enim ut in oculis ferebat Trombellium nostrum, sic, cum licuit, numquam non ejus studiis inservivit. Cl. vero Borgiae beneficio factum est,

(a) De operis praestantia, de Trombellii meritis in rem liturgicam, deque ejusdem libris et codicibus nobilissimis, vide, quale judicium dederit Franc. Ant. Zaccaria, vir tot editis libris vere clarissimus, in sua bibl. Rituali tom. II. pag. 318.

ut tantis tamque splendidis Orientalis Ecclesiae monumentis hi libri nobilitarentur. Neminem arbitror hoc Praesule melius Trombellianam hanc cupiditatem satiare potuisse. Habet ipse in manibus magnam hujusmodi divitiarum vim, et quod illustrius, scit se habere, scit dare. Horum omnium nominibus nonnullos Chrysostomus inscripsit libros, ut quantum ipsis deberet, publica literarum significatione testaretur.

XXXIV. Universam ille quidem, ut decreverat, Sacramentorum materiam non pertractavit, sed Baptismi, Confirmationis, Extremae Unctionis, Matrimonii, quatuor haec dumtaxat libris omnino tredecim dispertita: quippe post duo priora illa explicata, cum nonum supra septuagesimum aetatis annum attigisset, sentiretque amplius haud liberum sibi esse duros labores, vigiliasque pristinas sustinere, mutare consilium coactus est, adque duo postrema Sacramenta properare: ratus scilicet, Poenitentiam, Eucharistiam, atque Ordinem sic fuisse a Morino, Halliero, Ant. Arnaldo, aliisque praeoccupata, ut lenius horum tractationis prae aliorum desiderium deberet esse. Poterat profecto de Liturgicis solicitus polemica praetermittere: habuissemus fortasse integrum absolutumque Sacra-

mentorum numerum; at careremus adspectabili illa variorum rituum cum firmo dogmate explicata concordia, qua pulchritudo Ecclesiae triumphat demonstratioque catholica: neque tam multa monumenta usurpare possemus ex omni antiquitate petita, quae antiquariis ipsis, non modo rituum studiosis, grata esse compertum est.

XXXV. Unum moneo, quod memorabile est: id operis duorum sapientissimorum Pontificum, Clementis XIV., et Pii VI., qui feliciter Ecclesiae clavum moderatur, honorificentissimis literis commendari. Etenim alterius majestati tres de matrimonio libros; Clementi vero de baptismo quinque consecraverat. Sed Pii Pontificis Optimi Maximi alia quoque est illustris erga eum benignitatis atque adeo amoris significatio. Scilicet cum Bononiam Vindobonensis itineris caussa adventasset, contigit Trombellio, quod vehementer optaverat, in optimi Principis conspectum admitti. Pontifex, cui dudum erat cognitus, incredibili illum clementia excepit: cumque eo humanissime collocutus, peramanter assensus est, suo nomini inscribi quidquid ille de Matrimonii Sacramento edidisset, suamque erga coetum nostrum voluntatem, cujus eximia pignora habemus, praeclarissimo vocis oraculo de-

claravit. Eo confirmatus effoetus senex, propemodum reviguit (tanta clementiae vis est e majestate profectae!), inceptumque opus laboriosissimum ad exitum quam citissime perduxit. Id ut libentius recolerem, praesentia rei effecit. Nam cum Trombellio venerabundus ad clementissimum Principem ego ipse accessi; quae quidem recordatio facit etiam, ut sine piaculo praeterire nequeam liberalem in me ejusdem Pontificis munificentiam, cujus bono non sine gratissimo animi sensu plures jam annos utor atque fruor.

XXXVI. Haec de Trombellii lucubrationibus in primis (neque enim minora quaeque persequutus sum) dicenda erant. Qui profecto mihi propter earum multitudinem ac varietatem non unus esse Scriptor, sed multorum Scriptorum praeseferre speciem atque instar videri solet. Splendide, sed vere qui aeternae Chrysostomi memoriae anno MDCCLXXVI. numisma dedicarunt (a), rem hoc versiculo exergo inscripto

(a) Nempe Mingarellius et Zanettius. Atque hujus honestissimi viri eruditique, qui Trombellium et observabat, et diligebat quam qui maxime, illustre testimonium legi potest in Tom. IV. pag. 4. operis jam laudati: *Raccolta ec.* Eo in loco de numismatis Trombellii honori dedicatis mentio fit: pluraque afferuntur, quae magnam rerum a me explicatarum partem confirmant.

expressere: *Fertilis et varius, nam bene cultus ager.* Sed praeterea tot amicitiis floruit, tot muniis implicatus est, ut quoties recordamur, quantum scripserit, nec in officiis ullis, nec in amicitiis fuisse: et rursus cum cogitamus, quantum istis temporis impenderit, nec scripsisse, nec legisse existimemus, ut fere de Plinio majore a C. Plinio notatum memini.

XXXVII. Attigi jam superius de literatorum consuetudine. Addam nunc, difficile inveniri, qui illo magis in hujusmodi amicitiis colendis excelluerit. Non dissimulavi ex iis tulisse fructum, at reddidit vicissim. Cardinalis Quirinius non semel in epistolis a se editis perutilem suis studiis Chrysostomum nostrum testatus est. Viri clarissimi, Borgia, Zaccaria, Tiraboschius, Martinius e Conventualium familia, Oliverius, de Rubeis Ord. Praedic., Mellonius, aliique, Trombellii diligentiam erga se, vel operam, vel communicatas notitias commendarunt. Si quae forte inter amicos dissidia oboriebantur, praefocare satagebat. Zanottium Franc. cum Ansaldio Ord. Praed., Zanettium cum Reposatio reconciliavit: horum namque animi ob aemulationes literarias aliquamdiu refriguerant. Ejus aedem studiosorum sinum veluti quemdam dixis-

ses; tanta erat ad ipsum frequentia doctorum bononiensium, qui ejus consuetudinem expetebant: Inter hos cl. viri, Saviolius, Fantutius, Blancanius, Blanconius, Montius Cajetanus, Zanottii fratres, Zanettius frequentiores conveniebant. Semper animus liberalis hominis, eruditio, codices, antiquitates, et si quid aliud, illis aperta erant. Hanc humanitatem in illos etiam doctos homines derivabat, qui cum Bononiam peterent, Trombellium adire, audire, cum eoque esse cupiebant: quod non modo Italiae, sed exterarum quoque gentium doctis cum in more fuerit; argumento est, ejus nominis celebritatem non Italiae finibus conclusam fuisse, sed longinquas etiam nationes peragrasse. A viris doctis quot ei, et quam non vulgares honores sunt delati! Illum plures Moecenatem suis libris appetiverunt: illum inter suos nobilissimae Academiae cooptarunt: illum cum Italiae urbes vel coetus nostri, vel studiorum gratia percurreret, magnis aestimationis indiciis atque favoribus certatim ad se venientem exceperunt. Legi literas ab his hominibus ad eum datas, easque fere innumeras. Nihil iis Trombellio honorificentius scribi potuit.

XXXVIII. Tantam sibi famam nominis etsi

peperisset; paucorum tamen invidiam obtrectationemque offendit: quod confirmatae jam longeque productae gloriae indicium est, aut etiam temperati animi numquam se aliis anteponentis. Ephemeridum quidam scriptor imperite ejus librum *de distinguenda codicum aetate* vellicaverat. Dissimulavit Trombellius. Sed ecce cl. Tartarottius, qui risu potius quam ratione ineptum hominem refutavit (a). Celotti Patavini sententiam quamdam (b) modeste noster in primo volumine de vita Deiparae rejecerat. Adversus eumdem paulo vehementer rescripsit ille. Permansit in sententia Trombellius, atque adversarium donavit literis humanissimis. Eo accidit, ut Celottus aliam epistolam vulgaverit Jo. Chrysostomo scriptam, in qua difficile Celottum illum primum recognoscas.

XXXIX. Anno MDCCLI. cum noster Ant. Andreas Gallius (is, qui a Benedicto XIV. ad sacram purpuram paulo post evectus est) in Generalem Congregationis fuisset renunciatus, Trombellium a Secretis sibi esse optavit (c). Itaque

(a) Vid. hujus epistolam superius memoratam.

(b) Putabat Celottus sic legendum esse v. 16. cap. 1. S. Matth. *Jacob autem genuit Josephi conjugem Mariam, de qua etc.*

(c) Eminuit Gallius sanctitate morum, doctrina, in rebus agendis dexteritate. A Benedicto XIV. supremus Poenitentiarius crea-

id muneris tres annos sustinuit. Censura deinde, et Procuratione generali functus est, ex qua ad summum apud nos regimen conscendit, quod tum tres annos, ut cetera officia, vetere instituto majorum gerebatur. In guberniis sic semper praefuit, ut in eo nihil de innocentia morum, deque studiorum incremento promovendo desideratum fuerit: maxime vero de religionis zelo, quo suum pectus oneraverat atque compleverat. Recepit per ea tempora juvenes, qui literas perbelle ornarunt, coetumque nostrum. Possem hos nominare; sed vereor, ne aut quemquam aliis praeferre videar, aut, si quem non recenseam, reprehendar. Optima studiorum ratio, si quidquam postremis temporibus illa valuit Congregatio nostra, ei primum accepta referenda est. Suorum laborum juvenes alumnos volebat adjutores: illos describere monumenta, sententias inquirere, bibliothecas lustrare. Sic et ei molestiae non parum levaba-

tus est, illique coetui praefectus, qui e pravitate librorum cavet, ne quid Christiana respublica detrimenti capiat. De eo cl. Bertius locutus est in suo *ragionam. apologet. pag.* 16. Lagomarsin. in not. ad Pog. ep. vol. III. pag. 399., et Fantutius Bononiensis, genere, eruditione, amore erga patriam vir vere nobilis, in tom. IV. oper. *Notizie degli Scrittori Bolognesi ec.* Atque is, dum Gallii vitam descripsit, excellens pro Trombellio testimonium dedit. Vid. postremam adnotationem in Callii vitam.

tur, et quasi aliud volens, juvenibus viam ad bona studia complanabat. Sed ex nostris Monsacratius et Mingarellius, doctorum hominum more, exquisite Trombellium juverunt, ut vel in ipsis grati candidique hominis operibus est proditum. Quod non eo dico, ut duos viros laudem, qui hac laude non egent, sed ut intelligatur, quantopere studiis promovendis communis vitae ratio conducat, et quam frugifera emolumenta honoris, studiosorum consortium convictusque pariat. AEquabilitatem, suique similitudinem perpetuo servavit: eadem fere semper temporis horarumque partitio. Antelucanas, post datam operam precationibus et divinarum laudum penso, libris tribuebat. Tam multa, quae scripsit, sua ipse manu exarabat, tantaque felicitate, ut unum ipsissimum autographum, quod paraverat, praelo subjiceret. A divino officio frequentando non illum gravissimae curae, non fracta valetudo, non summa senecta deterruerunt. Quotidie sacrum summa cum religione peragebat. Bis, terve in hebdomada conscientiam emundabat suam. Pauperes, quantum potuit, e miseriis excitavit: aegris in valetudinariis inservivit: accedentium confessiones audire instititit. Elucebat in eo humilitas

non umbratilis, quaeque vulgi oculos percellit interdum, sed solida illa verique nominis, et magno viro digna. Nullus in sermone fucus, sed veritatis certus quidam index sermonis simplicitas, animique candor dominabatur. Ad obsequium, modestiamque institutus officiosum se omnibus praebebat ac perurbanum. In ipso ore effictam Christianae cujusdam amabilem philosophiae speciem vidisses (a). Ab honestissimis externorum consuetudinibus non adhorruit. Praecipue apud Caprariorum domum versatus est, quam unam ideo nomino, quia et ejusdem pueritiae prima fuit (quinquennem nempe summo cum amore excepit), et usque ad senectutem fuit familiarissima. In consuetudine lepidus facetusque narrator: eoque facetiarum genere maxime delectatus est, quod in celeritate dictoque consistit, peracuto illo et brevi, quodque *salis* vocabulo est a veteribus significatum.

(a) Eruditus auctor, qui concinnandis ephemeridibus Florentiae literariis praeest, in Trombellii elogio ad ann. 1784. num. 22. superiorum laudum nonnullas sic expressit: „ Conobbelo (Chrysostomum nostrum) l' autor di questo elogio nel 1778. in passando „ per Bologna: vide la sua biblioteca ed il suo gabinetto, e trovò „ in lui quella sincera affabilità, quell' ilarità di animo, e quella „ pratica filosofia, che molti uomini di studio vantano nel secolo, „ ma che realmente godono quelli del chiostro. „

XL. Haec vero in ejus laudibus non ita pono, quasi ab illo abfuerint humanae infirmitatis indicia. Scimus, homines etiam frugi luto convestitos esse, optimosque illos jure haberi dicique, qui minimis urgentur. Hunc fortasse revocari posset negligentia quaedam corporis atque habitus, quam nonnullis affectare visus est. Incidit etiam in nonnullorum reprehensionem, quod cum aliquo animum inflexisset, firmissime sententiae adhaeresceret. Quamquam istiusmodi firmitas, difficile statuerim, utrum vitio vertenda sit, homini praesertim, ut ille erat, bene in omnem veritatem honestatemque animato. Equidem sic ajo: saepius homines ex opinione quam e re judicare: optandumque esse, ut multi ad celebris Cartesiani principii normam sua judicia exigerent. Unum tamen excusari nequit, quod ille, nisi facti poenitens, non repetebat. Quo tempore Bononiae Theologicas disciplinas tradebat suis, hanc sententiam defendendam proposuerat: gratiam, qua Paulus Apostolus eminuit, *compellentem* dici posse atque adeo exstitisse. Displicuit thesis Quaesitori fidei (a), ac pro suo munere,

(a) Erat ille Andujarius Ord. Praed., qui paucis ab hinc annis Dertonae Episcopus defunctus est.

ne typis ederetur, prohibuit. E contra noster aequo animo repulsam non ferens, alio se vertit, ut veniam arriperet, compellentemque gratiam propugnaret. Accidit e voto res. Sed peracerbe Quaesitor; qui cum Romam de negotio scripsisset, molestias Trombellio intulit, a quibus nonnisi interpositu promissionis, postremum se sententiae vale dicturum, liberatus est. Ad iracundiam magnos impetus persentiebat. Hujus ipse suus erat accusator; ex quo quid de ea judicari possit, conjicias: multum enim naturae tribuendum, nonnihil etiam invaletudini, gravitatique studiorum. Sed ut subito incendebatur, sic facillime deflagrabat, et unde adversus patientiam armatus videbatur, inde hujusce virtutis incrementa petebat.

XLI. Senectutem vixit apprime decoram, ejusque judicio plurimum semper detulerunt nostri Praesules. Pulchre Jo. Baptista Robertius perpolitus scriptor, ac festivissimus: *in Trombellii persona*, ajebat, *Genium quemdam tutelarem videre mihi videor religiosarum aedium, quas incolit; civitatis, quam ornat* (a). Extremis vi-

(a) Sic in quadam elegantissima epistola italice conscripta, et Patavio ad Trombellium data Non. Kal. Jul. MDCCLXXVI., quam inter schedas Trombellii reperi.

tae annis post editos de Sacramentis libros, etsi a gravioribus studiis abstineret, non poterat tamen non aliquid scriptitare; cum vero imminere corporis sui dissolutionem praesentiret, divinarum rerum meditationi impensius vacabat. Spirabant sermones ejus, ipsaeque epistolae ad amicos scriptae, vitae hujus aerumnosae contemptum: eoque fluxarum rerum fastidio indicabat, quanta immortalium rerum appetitione teneretur. Habebat saepe in manibus aureum Cardinalis Bonae *de praeparatione ad mortem* opusculum: delectabatur liturgicis Ecclesiae precibus, easque frequenter repetebat, quibus Missarum, quos vocant, introitus, maximeque *de tempore* sapientissime Ecclesia complexa est. Hunc illi gustum Praesul optimus, ejusque amicissimus, nunc S. R. E. Cardinalis Garampius instillaverat, quem si modo nominem, vereor, ne in ejusdem modestiam peccem. Paucis antequam decederet diebus, Deiparae se Virgini his versiculis commendavit:

Virgo, tuas dixi laudes: peccasse dolentem
Me, pia Virgo, tuo protege praesidio.
Fac superis jungar labisque, et criminis expers:
Virgo, tuas laudes perpetuo referam.

Sic vir doctrinae pietatique natus, hujus tro-

phaeis onustus, scribensque aliquid mortem oppetiit. Diximus ex intestinis eum laborasse: quo morbo sic interdum corripiebatur, ut de ejus interitu non semel extimuerimus. Anno MDCCLXXXIV. VIII. Id. Januar. tanto impetu fractum aetate corpusculum aggressus est, ut vigintiquatuor horarum spatio ex hac vita migrandum fuerit. Ut remedia nulla esse vidit, se totum Deo libentissime commisit, cujus suavissima providentia vitae nostrae cursus exitusque gubernatur: tum quae ad religionem pertinent, rite sancteque perfecit. Mortis adspectu ejus animus territus non est. Id genus terrores iis, qui spem non habent, servati sunt, quique vitae spatium ad recte vivendum mortalibus impertitum, in socordiam, libidinesque projecere. Illi virtutis doctrinaeque exercitatio hilaritatem patientiamque conciliabant, sic ut beatissimas illas sedes videretur videre hominibus frugi praeparatas. Hora antequam expiraret, cum mori se sentiret, salutarem sibi expiationem a Sacchettio Praesule Generali nostro, Chrysostomique amantissimo precatus est. Vix a lacrymis temperare possum (aderam namque lectulo intermorientis), cum recogito, virum, qui omnem vitam suam ornando coetui nostro, amplificandis literis, juvandae Ec-

clesiae contulerat, animo ac voce ad humilitatem compositis, quasi graviorum criminum reum, veniam ab omnibus expetivisse. Sed his gradibus ad coelum conscenditur. Amisimus praesidium nostrum, decusque dulcissimum, postquam complesset sex et octoginta annos, menses decem, dies duos.

XLII. Fuit ejus mors patriae, amicis, doctis, bonis omnibus luctuosa: nobis vero acerbissimum, quod pectoribus alte adhuc insidet, vulnus inflixit. Justa funebria more atque instituto majorum in Templo S. Salvatoris, frequentissimo Bononiensium concursu, persoluta sunt. Ejus vultus effigies tabulae impressa in Instituti Scientiarum aedibus inter virorum illustrium imagines collocata est. Eadem in numismatis, in aere, in gypso. Rari hominis memoria, ut literis mandaretur, optarunt plurimi, mihique haec sparta a Mingarellio imperata, quo et Praesule utor, et doctore per anteactos annos amantissimo usus sum. Praestiti, ut potui, rem. Utinam Jo. Chrysostomi virtutum recordatione, in ejus vitam veluti in vivam quamdam legem intuentes, vitam nostram dirigamus! Observatum est, plerumque accidere, ut qua in familia illustria virtutum exempla floruere, eorum

gloria in posteros facilius propagetur. Utinam unus aliquis Trombellius identidem inter nostros excitetur!

OPERA EDITA

A JO. CRYSOSTOMO TROMBELLIO.

I. *Transtulit e gallica in patriam linguam plura Jacobi Benigni Bossueti opuscula, et Crasseti librum de Angelis Custodibus. Prodiit hic Bonon. typis Vulpianis, illa Venetiis typis Pitterianis.*

II. Favole di D. Gio. Grisostomo Trombelli Can. Reg. ec. Bologna MDCCXXX. per Lelio dalla Volpe.

III. Le Favole di Fedro tradotte in versi volgari. Venez. MDCCXXXV. presso Pitteri. *Octavum, quod sciam, recusae sunt.*

IV. Le Favole di Aviano tradotte in versi volgari, e le Favole di Gabria tradotte in versi latini, e in volgari. Venezia MDCCXXXV. presso Pitteri.

V. Le cento Favole di Gabriello Faerno, e una Favola di Batista Mantovano tradotte in versi volgari da D. Gio. Gris. Trombelli con la giunta di alcuni suoi versi latini. Venezia MDCCXXXVI. presso Pitteri.

VI. De cultu SS. Dissertationes decem, quibus accessit appendix de Cruce. Bonon. MDCCXL. typis Martelli. *In sex volumina distributae sunt.*

VII. Dissertatio epistolaris in quasdam veteres Litanias. *Habetur in Tom. XXXII. prioris Calogeranae collectionis.*

VIII. Priorum quatuor de Cultu SS. Dissertationum vindiciae adversus V. cl. Rudolfi Kieslingii Prof. P. in Academia Lipsiensi Exercitationes Antitrombellianas. Auctore Philalethe Aphobo *(sub quo ascititio nomine Trombellius delitescit)*. Bonon. MDCCLI. ex typ. Longhi.

IX. Veterum Patrum Latinorum Opuscula numquam antehac edita. Anecdotorum a Canonicis Reg. S. Salv. evulgatorum Tom. II. Par. I. Bonon. MDCCLI. apud Corciolanum. *En opuscula, quae hoc volumine eduntur a Trombellio, atque illustrantur:*

D. Cypriani exhortatio ad poenitentiam.

D. Hilarii Pictaviensis epistola, seu libellus.

De Dedicatione Ecclesiae Sermo eidem Hilario tributus.

Quaestiones in Habacuc prophetam D. Hieronymo tributae.
De Jejuniis disputatio.
Chronica succincte descripta de regno Hebraeorum.
Sermo in die Dominica Paschae D. Hieronymo tributus.
Soliloquiorum, quae Augustino tributa sunt, Caput postremum.
Paulini Mediolanensis libellus de benedictionibus Patriarcharum.
Sermo S. Leonis Papae de Quadragesima.
De Resurrectione Domini Sermo alter eidem Leoni tributus.
Sermo tertius in Festivitate Sancti Pauli eidem Leoni tributus.
Sermo de Abrahae filio.

Ex his Paulini libellus de benedictionibus Patriarcharum a cl. Mingarellio illustratus est.

X. Memorie istoriche concernenti le due Canoniche di S. Maria di Reno, e di S. Salvatore insieme unite. Bologna MDCCLII. a S. Tommaso d' Aquino.

XI. Veterum Patrum Latinorum Opuscula numquam antehac (majori ex parte) edita Tom. II. Par. II. Bonon. MDCCLV. ap. Corciol. *Opuscula haec sunt:*

Bedae praefatio in Epistolas Canonicas.
Claudii Taurinensis priora in Libros Regum Commentaria, multis in locis emendata, et collata cum iis Veterum locis, quos ipse exscripsit.
Claudii Taurinensis posteriora in Libros Regum Commentaria.
Prudentii Tricassini Episcopi Florilegium ex Sacra Scriptura.
Goffridi Vindocinensis Epistolae duae.
G. Mediolanensis Archiepiscopi epistola.
Huguccionis Ferrariensis Episcopi de Symbolo (seu in Symbolum) Apostolorum.
Vetusti Canonici Regularis opusculum de cognitione verae vitae, de Deo, et vita aeterna. *(Ediderat pridem Mabillonius).*
Innocentii III. de Quadripartita specie Nuptiarum.
Antiquus Episcoporum Ecclesiae Bononiensis Catalogus.

XII. S. Antipatri Episcopi sermo de B. Virgine cum adnotationibus Trombellii. *Edit. est in priore Calogerana collect. Tom. XLIII.*

XIII. Arte di conoscere l' età de' Codici Latini e Italiani. Bologna MDCCLVI. a S. Tommaso d' Aquino. *Hic liber tertium recusus est.*

XIV. Mariae SS. Vita ac gesta, cultusque illi adhibitus, per dissertationes descripta. Bonon. MDCCLXI. typis Laelii a Vulpe. *In sex volum. distribuitur.*

XV. Ordo Officiorum Ecclesiae Senensis ab Oderico ejusdem Ecclesiae Canonico anno 1113. compositus, et nunc primum a D. Jo. Chrys. Trombellio etc. editus, et adnotationibus illustratus, vindicatusque. Bonon. MDCCLXVI. ex typogr. Longhi.

XVI. Trattato degli Angeli Custodi. Bologna MDCCLXVII. S. Tommaso d' Aquino. *Iterum impressus est Bononiae.*

XVII. Vita e culto di S. Giuseppe. Bologna. MDCCLXVII. presso Longhi.

XVIII. Vita e culto de' SS. Giovacchino, ed Anna. Bologna MDCCLXVIII. a S. Tommaso d' Aquino.

XIX. Tractatus de Sacramentis per Polemicas, et Liturgicas Dissertationes distributi. *Continentur voluminibus omnino tredecim, quibus Baptismi, Confirmationis, Extremae Unctionis, et Matrimonii Sacramenta illustrantur.*

XX. De acus nauticae Inventore. *Reperitur in Tom. II. Par. III. Commentar. Bonon. Instit. Jo. Rudolphus Kieslingius pridem Trombellii adversarius germanice vertit, ediditque.*

XXI. De Numismatis quibusdam gallicis dono ad Academiam Instituti Bonon. a Tithono Tilleto missis. *Est in Tom. IV. Commentar. etc.*

XXII. De tela ex genistarum corticibus confecta. *In Tom. IV. et VI. Commentar. etc.*

XXIII. *Binae Epistolae italica una, latina altera ad cl. Zaccariam missae cum duobus pervetustis Kalendariis eidem communicatis. Edita isthaec, illasque invenies in lib.* Anecdotorum medii aevi. Augustae Taurinorum MDCCLV.

XXIV. Lettera al Rmo P. Odoardo Corsini ec. sopra una Medaglia di Licinio augusto col motto *Fundat. Pacis.*

XXV. *De altero nummo litterae tres, una Trombellii, duae cl. Zucconii S. J. Bonon. MDCCLXI.*

XXVI. Vita del B. Arcangelo Canetoli Can. Reg. della Congreg. del SS. Salvatore. *Bis Bononiae edita est: tertio Venetiis anno MDCCLXXXIII.*

NONDUM EDITA.

I. Machabaeorum libri I. et II. *ab ipso quibusdam adnotationibus illustrati. Exscripsit porro illos ex Codice saec.* XII. *vel* XIII. *Briziae a se comparato una cum aliis codicibus exquisitis maxime liturgicis. Praestantissimum hunc codicem Trombellius existimabat. Alter liber non eumdem, quem prior, interpretem habet, et hunc ignotum. Valde autem, nec raro, differt ab interpretatione vulgata. Invisa prorsus veteribus Theologis haec interpretatio fuisse creditur, ut Trombellius ipse scriptum reliquit.*

II. Dissertazione sopra di un pozzo ec. *Est in manibus Jac. Blancanii et Guid. Zanettii Bononiensium, qui eam ex autographo descripsere.*

III. Adnotationes marginales in libros de cultu SS. *Exemplar est in bibl. SS. Salvat.*

IV. Adnotationes marginales in Vitam Deiparae. *Ibid.*

V. Observationes *eruditissimae, quibus plurimos Bibliothecae nostrae codices illustravit.*

VI. Epistolae *propemodum innumerae ad hujus aevi Literatos datae, quarum pleraeque, ut e responsionibus conjecturam feci, eruditione uberrimae debent esse.*

V. pag. VI. not.



